

DE
DECANIS *1739. 14a*
ET *179. 16*
DECANISSIS
COMMENTATVR
ET
MAGISTERII PHILOSOPHICI
HONORES
LAUREASQUE POETICAS
D. XXX. APRIL. A. cIs I^o CC XXXIX
DISTRIBUTVRVS
CANDIDATOS
DE HIS LITERIS BENE MERENTES
MORE MAIORVM
INVITAT
IO. GVIL. HOFFMANNVS
PHILOSOPH. ET IVRIS VTRIVSQ. DOCTOR HISTO-
RIARVM PROFESSOR PVBL. ORDINAR. FACULTA-
TIS PHILOSOPHICAIE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS ET IMPER. AVCTORITATE CONSTITVTVS
COMES PALATINVS.

IN
IMPROV

1710. 1711. 1712. 1713.

1714. 1715. 1716.



SYNOPSIS.

I. *Instituti ratio.* §. II. *Vnde nomen Decani, & ex qua lingua sit.* §. III. *De Decanis Deis, & horoscopis.*
§. IV. *De Decanis in exercitu Romano denorum militum contubernio praefectis.* §. V. *De Decanis servis & libertis.* §. VI. *De Decanis lictoribus.* §. VII. *Quale officium fuerit Decani, cuius mentionem facit Notitia dignitarum & ministeriorum ecclesiae Constantinopolitanae.*
§. VIII. *De Decanis vesilloribus.* §. IX. *De Decanis iudicibus populorum originis Germanicae.* §. X. *De Decanis Mo-*

Monasteriorum. §. XII. De Decano Capituli Ecclesiae cathedralis. §. XIII. De Decano Capituli ecclesiae collegiae. §. XIV. De Decanis ruralibus &c. §. XV. De Decanissim Canonissarum. §. XVI. De Decanatu Archiepiscopi & Electoris Moguntini. §. XVII. De Cardinali Decano. §. XVIII. I. De Decano Rotae Romanae, Camerae Clericorum &c. §. XVIII. II. De Decanis, qui collegiis mercatorum, opificum &c. praesunt, nec non de Decano leprosorum. §. XX. De Decanis Academicis. Conclusio.

SYNOPSIS.

¶. I. De Decano Capituli Ecclesiae cathedralis. De Decano Capituli ecclesiae collegiae. De Decanis ruralibus &c. De Decanissim Canonissarum. De Decanatu Archiepiscopi & Electoris Moguntini. De Cardinali Decano. De Decano Rotae Romanae, Camerae Clericorum &c. De Decanis, qui collegiis mercatorum, opificum &c. praesunt, nec non de Decano leprosorum. De Decanis Academicis. Conclusio.

§. I.



§. I.

Quandoquidem officii ratio postulat, ut laurum sapientia venalem, pridie Kalendas Maias dignis capitibus a me circumponendam, nunc velut in limine suspenderem, & optimos commilitones, aliosque decorum ordinis nostri candidatos, ad honestissimam petitionem excitaturus, more maiorum aliquid praefarer; exiffimau, non alienum ab instituto videri posse, si propter impositum mihi Decanatum scripturus, scriberem de *Decanis*. Nam late patet huius nominis usus, nec tantum ecclesis aut academias continetur, sed etiam in castra penetrauit, aut quod forte rectius diceretur, ex castris in tot & tam varia collegia fluxit, eorumque praesidibus adhaesit, ut Decanos habeamus priscis nostrisque temporibus innumerabiles. Ast ne quidem canonici iuris interpretes, quos primo loco sententiam rogaes, ut ego certe rogaui non paucos, huic argumento satisfecerunt; & CHRISTIANVS WILDVOGELIVS, qui ex professo de Decanis disputauit, (a) quamvis aliqua scitu non indigna congesserit, lectorum tamen saepenumero quaestionibus nisi alienis, certe perulgatis, onustum earum vero, quas accuratius exponi oportebat, vacuum dimittiit. Quid enim opus erat, in commemoratione Decanorum, qui Superintendentium vices gerunt, trium argumentum de potestate Episcopi, de iure ordinis, lege dioecesana, & iurisdictione, tam prolike repetere?

A

aut

(a) CHRIST. WILDVOGEL Exercit. de Decanis, Ienae 1692.

aut ad tractationem, an ArchiEpiscopus Moguntinus sit electoralis collegii Decanus, notissimas quaestiones, quid se de vacante capitulis in Imperatoris electione licet, examinare, vacuasque dissertationis partes, vt modo nimis saepe fieri solet, materia non illa, quam res postulat, sed vulgaris & aliunde conquista, implere. Quod omittere non debui, ne quis argumentum huius scriptioris ita iam occupatum esse censeat, vt illud repetituri ius omne diligentia praeeuentium perdident. Ego, numquid operae pretium fecerim, lectoribus, si qui huic opellae forte contigerint, iudicare relinquo, veniae securus, si modo nostra cum laboribus ceterorum, in eodem arguento versantium, compare dignentur. Eas vero partes, quas aut WILDVOGELLVS, aut alii satis exposuerunt, indicasse contentus, omittam, nill qua forte rectius aut plenius dicenda occurrit, aut ordinis seruandi ratio repetitionis taedium excusauerit. Decani vero, cum eorum nomen in tot tamque variis ordinibus & collegiis, ceteroquin inter se non connexis, obuium sit, ea serie forsitan optime recensebuntur, quea non nimis anxie quaesita videbitur. Neque enim argumenti huius indoles, neque temporum ratio, certum ordinem in combinandis partibus disiunctis, & sola nominis cognatione sibi respondentibus, admittit.

§. II. Decanis, vt inter omnes constaret, quamuis nec MANILIVS dixisset,

a numero nomen positum est. (b)

Ceteri enim etymologiarum lusus ad certos tantum Decanos, quorum officium cum denario numero nihil communne habere videtur, pertinent, & suo loco commemorabuntur. Ecquis vero crederet, ne hoc quidem certum esse, vnde domo sit *Decani* vocabulum, Graecumne videatur, an Latinum, a *decem*, an a *δέκα*. Et tamen disputatur de
re

(b) MANIL. Lib. IV. p. 89. edit. Boecl.

re ardua inter VOSSIOS, (c) SCALIGEROS, (d) SALMASI-
OS, (e) vt tantum nomina, quae grande sonant, in medi-
um afferam. SCALIGER enim contra Graeci sermonis ana-
logiam esse contendit, si δεκάνος duceretur a δέκα, cum alias
πενταράντας, ἑταράντας, similesque voces, quas Graecorum ore
non usurpari constat, admittendae forent; Latinos vero, vt
primanum, quintanum &c. sic etiam decanum dixisse, vo-
cemque originis Romanae postea cum aliis multis flu-
xisse ad recentiores Graecos. Contra SALMASIO alienum
ab analogia linguae Latinae viderur, decanum a decem deri-
uare, qui tunc rectius dicendus esset decimanus, flexumque
vocabuli minus violentum fore, si ex δέκα fieret δεκάνος.
Grammatici certent! Nos eorum litem iniudicatam relinquim-
us, quae tamen hoc momentum haberet, quod indagata vo-
cis origine de ipsis rei primis incunabulis certiores esse, &
in quem usum Decanorum nomen inuentum sit, decernere
postlemus. Nam si SCALIGERVM audis, inter arma natum,
& militibus, qui nouem aliis, tamquam contubernii caput,
praeerant, primum impositum est; sin SALMASIVM, inter
altra primum emicuit, & inde demum in castra descendit.
Quicquid de quaestione difficulter extricanda dicendum sit,
nos in ordine dicendorum SALMASIVM sequamur. Nam
quae primordia Decanorum nostrorum augustiora statui-
possebant, quam si coelos ipsos tentemus, & posthabitis ori-
ginibus humanis, duces eorum, & auspices praemittamus
DECANOS DEOS.

§. III. Qui vanissimas diuinandi artes sectati sunt, &
sidera fati conscientia crediderunt, in praeceptis suis frequen-
ter crepant Decanos & δεκάνος θεούς. His auctoribus omne
zodiaci signum in tricenas partes, adeoque in tres decuri-
as diuiditur, singulis vero decuriis unus decanus, & sic
duodecim signis triginta sex decani praefides assignantur.
Triginta sex, inquit FIRMICVS, decani omnem Zodiaci pos-

A 2 fidene

(c) GERM. IO. VOSSI Etymio-
log. v. Decanus,

(d) IOS. SCALIGER. ad Manil.
p. 297.

(e) SALMAS. ad Solin. p. 460. sq.

sident circulum, ac per duodecim signorum numerum iste deorum numerus, id est DECANORVM diuiditur. Ita decem primis partibus arietis primus decanus, decem sequentibus alter, decem postrem tertius decanus dominatur, & qui v. c. surgentibus decem primis arietis partibus nascetur, primum habebat Decanum horoscopum. Decanus quisque viatorum & virtutum corporis, animi & fortunae velut arbiter & index censetur, & vincuius, qui sub se nascitur, talia fata parat, qualia per necessitatis legem ex natura sua parare potest. Hinc nugae prolixae veterum astrologorum, qualis ille futurus sit, qui Tauri, Virginis &c. primum, secundum, vel tertium decanum ὀροσκοπῶντα nanciscitur, quamvis omnium infelicissimum ille habitus sit, cui nullus contigerat decanus horoscopus. Fingebant sibi enim quaedam interstitia vacua, vel μετεύθυντα, quibus signa separarentur, & quae nulli decano subfessent, eos vero, qui horoscopum suum in his partibus habebant, infortunatos animi corporisque bonis redderent. Decanis singularis tres Deos λειτουργούς velut assessores dabant, quibus iterum aliorum numinum virutes subiiciebantur, ut prolixius edifferunt SCALIGER (f) & SALMASIVS. (g) Alios auctores WILDOGELIVS laudat, sed qui non semper in explicatione veterum Astrologorum consentiunt. Quin & inter ipsos antiquos magnus de his decanis dissensus letores dubios dimittit, nec aliter fieri potuit in arte, quae fundamento caret. Nostrum non est difficilibus immorari nugis.

§. IV. De Decanis militaribus, qui contubernio praerant, aliquos auctores in dissertatione WILDOGELIANA citari video; sed addi debuisset CANGIVS, (h) ex quo certi descripti sunt. Res satis EX VEGETIO (i) nota, Romanos

(f) SCALIG. ad Manilium cit. loc. & p. 336.

(g) SALMAS. cit. loc.

(h) CANG. Glossar. Latin. v. Decanus.

(i) VEGET. de re militari Lib. II. cap. XIII.

nos cohortes suas in centurias, has iterum in contubernia diuisisse, ut decem militibus sub uno papilione degentibus, unus quasi praefectus DECANVS, qui caput contubernii nominatur; contubernium autem manipulus vocatur. (k) Ex his postremis VEGETII verbis conicerem, Decani nomen in exercitu Romano tunc demum auditum esse, quando manipulus, qui olim sexaginta, vel centum, vel ducentorum militum fuerat, ad denos redactus erat, & denaria dicebatur, quod non Hadriani vel Antoninorum tempore factum est, ut LIPSIVS coniecit, (l) sed aliquanto citius. (m) Qui Decani vocabantur inter pedites, in equitatu decuriones dicti sunt, ut FESTIVS ait: *Decuriones appellantur, qui denis equitibus praesunt.* Graeci δεκαδάρχοις & δεκάρχοις habuerunt inter nomina militiae, (n) quin & aliis gentibus eadem diuisio placuit. (o) Neque tamen Gothorum Decanos, de quibus postea dicimus, militaribus illis Romanis per omnia similes fuisse crediderim, ut credidisse videtur PETRVS PANTINVS; (p) neque IOSEPHO SCALIGERO (q) subscriberem, qui decanum in exercitu Romano simillimum fuisse putat Turcarum *Odabassi*, vel Cainerae praefecto. Quamvis enim constet, Turcarum pedites diuisos esse in manipulos, quos *Odas*, seu *cameras* dicunt, & vnumquemuis manipulum coniuncti & communis mensa in camera sibi assignata vti; non tamen denis militibus *Odae* constant, ut apud Romanos Decaniae; neque primus praefectus *Odae* dicitur *Oda-Bassy*, sed *Zorbagy*; ille vero, quem *Oda-Bassy* vocant, secundus est, & cum Decano militiae Romanae in nulla re

A 3

con-

(k) CONF. GODESC. STEW ECH.
ad VEGET. Lib. II. cap. VI. & cap. XIII.

(l) IVST. LIPS. de milit. Rom.
Lib. I. Dial. II.

(m) SALMAS. de re militari Ro-
man. cap. II. p. 14.

(n) IVL. POLLVC. Onomast. Lib.
I. cap. 7. segm. 128.

(o) IAC. LYDIUS de re milita-
ri Lib. II. Cap. III.

(p) PETRI PANTINI de Offi-
ciis Gothorum p. 201. Hispan. illustr.
Tom. II.

(q) SCALIG. ad Manil. p.
297.

conuenit, quam quod semper in camera cohortis suae, vt ille Romanus in contubernio suo, cubare, nec interdu quoque ab hoc communi commilitonum domicilio abesse debent. Plura de hoc Turcarum instituto attulit solertissimus rei militaris Ottomannicae interpres, Comes MARSILIVS. (r)

§. V. Nondum apud Romanos militibus denis in contubernium coactis decanus praefectus erat, cum iam inter eos homines diuites numerosas familias in decurias descripsissent, & earum uniuicuique praefecissent decurionem, vel decanum. Postquam enim multitudo seruorum Romae tantopere creuerat, vt unus dominus non familiam, sed mancipientium legiones aleret, eorumque nomenclatore opus haberet; facile potest existimari, classium & decuriarum distributionem necessariam fuisse, quamuis in ea non tam denarii numeri, quam potius officiorum & operarum ratio habita, & plerumque plures, quam decem, modo easdem operas praefestarent, in unam decuriam conieci sunt. Hinc ille PETRONII ridiculus diuinitarum ostensor Trimalchio: *Ex quora decuria es?* seruum interrogat, (s) ad quem locum consulendi sunt magni nominis interpres NICOLAVS HEINSIVS, & PETRVS BVRMANNVS. Dux & caput decuriae Decanus dicebatur, (t) vel, quod frequentius occurrit, decurio. Hinc in lapidibus tories legitur DEC. LECTICARIORVM, DEC. PEDISSEQVORVM, DEC. LECTORVM &c. nullibi vero frequentius, quam in inscriptionibus sepulcralibus libertorum & seruorum Augusti, tredecim abhinc annis in via Appia repertis, quas commentario illustrauit doctissimus vir FRANCISCVS BLANCHINVS, & cum ad lapides, qui decanorum vel decurionum nomen libertis & seruis tribuunt, peruenisset, haud inscri-

(r) MARSIGLI Stato militare dell. Imperio Ottomanno P. I. cap. XVI. & XX.

(s) PETRON. Satyric. cap. XLVII.

(t) FITISCI Lexic. antiqu. v. Decanus.

te addidit, aliquam similitudinem inter eos, & praecipua, quae nostris quoque temporibus a ceteris distinguuntur, seruitorum capita videri, quae Romae in splendidioribus familiis Decani de' Palafrenieri vocari solent. (u) Illud non omitendum est, etiam seruas & libertas decuriones suas habuisse, vt docet inscriptio: (x)

PONTIAE

TYRANNIDI

DECVRIONI.

§. VI. In palatio Imperatorum Constantinopolitanorum Decani dicti sunt, quos alias diceremus lectores. Mallem ab honesto nomine significationem abesse, quae non nihil turpitudinis, certe multum militaris habet. Sed stant contra leges vtriusque Codicis, (y) & hoc genus Decanorum praeterire vetant, patres etiam Christiani tam saepe tantoque contentu de illis loquuntur, ut supremam palatii dignitatem & infimam turbam designatur, Praefectos Praetorio nominent, & Decanos. (z) De his vero post IACOBVM GOTHOFREDVM (a) & CANGIVM, (b) qui res, quibus manum admouent, cum puluisculo tollere solent, plura dicere, difficillimum foret; quamvis sponsor esse nolle, omnia, quae congettare, loca, de his Decanis accipienda esse. Nam in tanta eorum multitudine, quibus Decani nomen adhaesit, aliquorum etiam obscuritate, facile labimur, velut & FABROTTVS in Glossario ad CEDRENV M (c) de his Palatii Decanis loquutus, omnia miscet. Ita quod ex synodo ad Quercum CANGIVS adducit, Chrysostomo con-

cita-

(u) v. Camera ed Inscrizioni se-
pulcrali de liberti, servi, ufficiali del-
la casa di Augutto, con le annota-
zioni di FRANCESCO BIANCHI-
NI p. 21.

(x) IBID. p. 43.

(y) L un. C. Theod. de Decanis
L. 1. & 2. C. eod.

(z) CHYSSOTOM. Hom. XIII.

in Hebr. p. 817. conf. BINGHAM.
Origin. Eccles Lib. III. cap. VIII.
§. III.

(a) IAC. GOTHOFR. ad L. vn.
C. Th. de Decanis.(b) CANG. Glossar. Latin. v. De-
canus.(c) FABROTT. Glossar. ad CE-
DREN. V. Δεκανος.

citationem *Decanorum* contra Seuerianum imputatam esse, illud non de Decanis Palatii, sed de his, qui in ecclesia Constantinopolitana erant, quos pluribus mox commemorabimus, cum ANTON. AVGUSTINO (d) & ANDR. SCHOTTO (e) acciperem. Ut autem horum Decanorum officia, quantum nobis de eo constat, velut in tabella describamus, pertinebant illi quidem ad militiam Palatinam, & sub Magistro officiorum constituti, ad Principis ministerianos, sed insimi ordinis, referebantur; vocabant & corripiebant reos; & in locis fisco vindicatis vela suspendebant; uno verbo, lictoris officium exequabantur, vnde CEDRENVS (f) eos non male appellavit *ρεβδελχης*. Tanta vero eorum multitudine fuit, ut BASILIVS ὄχλον δειπνάων, & CORIPPVS *Decanorum turbam* dixerint; cumque nulla denarii numeri ratio habita, nec viuversus grec in decuriis diuisus, certe non capitulois decuriarum, sed omnibus ac singulis Decani nomen inditum sit, ea nos nunc coquit cura, ex quibus causis lictores dicti fuerint Decani. Nam olim quidem Romae lictorum decuriae fuerunt, vt ex lapide constat

IOVI STATORI SVO
ORDO LICITORVM III DECVRRIARVM COS.
AVR. GAE利 LICVSCVS. A. S.

quem egregie illustrat REINESIVS; (g) sed ad nostros *Decanos* & eorum nominis originem illustrandam nihil faciunt. Quod autem ex decanis militaribus, de quibus supradictum, lecti sint, & nomen retinuerint, CANGII coniectura est, sed quae colore destituta nihil extricat. Nec magis altera BRVNNEMANNI de decem ministerianis vni eiusmodi decano subiectis, quam WILDVOGELIVS refellit, ego vero, qui apud BRVNNEMANNVM alia omnia, quam antiquitatis accuratam explicationem quaerere soleo, lubens omitto. Lon-

ge

(d) ANT. AVGUSTIN. ad Iuli-an. antecess. Conf. XIII.

(e) ANDR. SCHOTTI Schol. ad PHOT. biblioth. p. 55.

(f) CEDREN. edit. Parisi. p. 170.

(g) REINES. Syntagma. Inscript. p. 43.

ge autem dissimillima veri sententia IAC. GOTHOFREDI
videtur, qui nostrorum decanorum nomen a Graeca voce
δεκανᾶς, apprehendere, deriuat; nimirum quod ab eis rei
& facinoroli comprehendenterentur. Nam *δεκανᾶς*, quantu-
m ego scio, nomen amoris est, & quando amici manus
miscent, & se invicem amplectuntur, aut alias beneuole ex-
cipiunt, adhiberi solet, vt adhiberi HOMERVS (h)

οἱ δὲ ἴδοντες

πάντες αὐγῆς, καὶ ΔΕΙΚΑΝΩΝΤΟ δέπασσιν.

Quis autem violentae reorum comprehensiōni, adeo-
que Decanis nostris, ab amicorum amplexibus nomen im-
positum esse crediderit? Ego, si quid valerem coniectan-
do, rationes ita componerem. Decanos Palatii baculos ge-
stasse, non solum ex voce *ῥάθουχος*, quam CEDRENVS ad-
hibet, verum etiam ex eo patet, quod in aula Constantino-
politana multi, qui officium magnum vel minimum gere-
bant, cum baculis argenteis, auratis, ligneis incederent, vt
passim docet CODINVS. Baculus autem omnis, qui potesta-
tem iudicandi, vel iudicatum exequendi significabat, diceba-
tur *δικανίον*, & vt CANGIVS multis exemplis docet, (i) cor-
rupte *δεκανίον*, sine dubio a *δικη* & *δικανίον* *iudicium* &
iudiciale, vt etiam in Glossis PHIOXENI *δικανία*, *fo-
renſia*. Quare decanos citandis & comprehendendis
reis, vel iudicato exequendo adhibitos a baculo, vel *δεκα-
νιοῦ*, quem in ministeriū sui signum praferebant, Decano-
rum nomen accepisse, non procul abesse vero crediderim.
Neque dici potest, *δεκανίον* potius a *decanis* dictum esse,
cum & alii, qui Decani non erant, similem baculum gesse-
rint, & illius vocis origo potius *απὸ τῆς δικῆς* deriuanda sit.
Vicissim autem ab his Decanis lictoribus, qui reos in vincula
ducebant, nomen accepisse *Decanicum*, quod *cancerem Com-*

B

stanti-

(h) HOMER. Iliad. 6 v. 85.

(i) CANG. Glossar. Graec. v. δε-

κανίον. IO. MEVRSSI Glossar. Graec-
co-barbarum in ead. voce.

stantinopoli significasse peruulgatum est, perquam credibile videtur. (k) Nam ANTONII AVGUSTINI sententia, (1) qui carceres *decanica* dici ab illis Decanis, quos funera curasse postea videbimus, tam procul est a vero, quam a carcere ipso lectica & sandapila. *Decanicum* igitur est carcer tam ciuilis, quam ecclesiasticus. Nimurum a Iustiniano nostro discimus, (m) etiam ecclesiis carceres fuisse, qui *Deconica* dicebantur, & immorigeris Clericis includendis inferuebant, non confundendi ceteroquin cum *Diaco*nico, vel *Diaco*nia, quamvis *Decanicum* & *Diaconicum* coniunxerint Arcaidius & Honorius Imp. (n) & hinc loca ceteroquin diversissima miscendi quibusdam interpretibus occasionem dederint. (o) In *Diaco*nico, quod postea *Secretarium*, hodie *Sacrificia* dici consuevit, vasā, reliquiae, stauae & imagines, ac vestes sacrae seruabantur, vnde etiam σκευοφυλακιον dictum est; (p) in *Diaconia* vero, de qua in medio relinquo, quibus modis a *Diaco*nico discrepauerit, diaconi stipem egenis dare, viduisque, pupillis & aliis miserabilibus personis alimenta necessaria porrigere tenebantur; (q) *Decanicum* denique nonnisi seruandorum hominum cauſa eretum erat, & hinc alio nomine ἐγκληματική, nec non πάγκη, i. e. cancelli dicebatur. (r)

§. VII. Nouam Decani speciem, sed perobscuram, exhibet Notitia dignitatum, officiorum & ministeriorum eccliesiae magnae Constantinopolitanae. Quid enim hoc si

bi

(k) MEVRS. & CANG. IN Δεκανον & Δικαιωσεως.

(l) ANTON. AVGUSTIN. ad Iulian. Conflit. LXXIII.

(m) Novell. LXXIX. cap. III. ad quem locum vid. V. C. Homberg. in Bacch. conf. ZEG. BERN. VAN ESPEN Ius eccl. Tom. III. Tit. XI. n. XXII. seq.

(n) L. 3. C. de haeret.

(o) IAC. GOTHOFR. ad L. 30. C. Th. de haeret.

(p) IACOB. GOAR in notis ad Euchologium Graecor. p. 13. seq: IAC. GOTHOFR. ad Philostorg. difserit. in Lib. VII. cap. III.

(q) BARON. ad Martyroleg. Rom. p. 350. ANTON. DADIN. ALTESERRAE obseruat. in Anastas. p. 78. sq.

(r) PITHOEVS ad Iulian. Conflit. LXXIII.

bi vult : οἱ δεκανοὶ τάσσεται τὰς ἱερεῖς ἐν τοῖς ἵεροις πάντας
 διαπέμπουσι. Decanus componit sacerdotes in contributionibus ad eos ex aequo spectantibus, (s) ut vertit P. IAC. GOAR. Nihil equidem in ipsis verbis obscuri, & si dubitetur, quae sint illa sacerdotibus distribuenda διαπέμπωσι, CANGIVS tibi dicet, esse μητρία, vel distribuciones menstruas, de quibus similis notitia officiorum ecclesiae Constantinopolitanae a IO. MORINO edita (t) quaadam commemorat. Sed cur ille redditum distribuendorum minister vocatus sit Decanus, dicat, qui potest. Miror enim, rerum Constantinopolitanarum peritisimum P. IACOBVM GOAR in Commentariis ad hunc locum, (u) Decanos lectorios, qui Constantinopoli funera curabant, intempestive huc trahere voluisse. Praeterquam enim, quod Libitinae cura nihil omnino faciat ad hoc officium, quod in verbis Graecis modo descriptis designatur, tum decanorum vespillorum, ut mox videbinus, ingens multitudo Constantinopoli fuit, Notitia vero dignitatum magnae ecclesiae, quae nobis hunc Decanum producit, officia tantum vni vel ad summum duobus hominibus demandata recenset. Neque tamen, quantum ego scio, meliorem huius nominis interpretationem quisquam attulit, neque meliorem afferri posse crediderim, si verba Graeca Latine ita vertas, ut vertit IAC. GOAR. Ac, si mihi ad inuestigandam rem dubiis plenam noua via incedere licet, illud, antequam quid sequerer, dicam, monere necesse est, Decanum in ecclesia magna Constantinopolitana, de quo nunc loquimur, ab his, quos iam recensuimus, & postea ex antiquorum nostrorumque temporum instituto producemus Decanis, diuersissimum, quin & inter viliora huius ecclesiae officia & tantum non postremum ministerium fuisse. Praecedunt enim hunc Decanum sordida quaevis of-

B 2 ficia,

(s) Eucholog. Graecum p. sacris eccl. ordinat. p. 172, & p. 225.

208.

(u) GOAR ad Eucholog. pag.

(t) IO. MORINI Comment. de 240.

ficia, velut illa, quibus templum verrere, lampades accendere, cereos disponere, baculum antistiti praeferre incumbit, quemadmodum ex officialium catalogo, qui ordinem chori demonstrat, manifestum est. (x) Deinde obseruatu dignum puto, Decanum in officiorum serie proxime iungi viatori, qui procedente in publicum antistitre populum submouet, & a Graecis Δεκανοί appellatur. Cum igitur alias quoque viatoribus iungantur lectores, lectores vero, qui apparebant in palatio, Decani dicerentur, & ipse carcer Decanicum, cumque, ut supra diximus, etiam ecclesiae suum Decanicum haberent, crediderim, Decanum, de quo quaerimus, non alium esse, quam praefectum carceris ecclesiastici, seu lectorem. Nunc ad Graecorum verborum interpretationem: οἱ δεκανοὶ τάσει τοὺς ιερεῖς ἐν τοῖς ἔρχομένοις αὐτῶν δικαιώμασι· vel vt MORINVS edidit: οἱ δεκανοὶ, ήντα καλῶν τοὺς ιερεῖς εἰς τὰ αὐτῶν δικαιώματα καὶ προσφερέματα. Vides lectionum & sententiae insignem discrepantium; nam pro τάσει τοὺς ιερεῖς ἐν τοῖς δικαιώμασι, scribitur καλεῖ τοὺς ιερεῖς εἰς τὰ δικαιώματα, & ita rectius scribitur etiam alio loco apud eundem IAC. GOAR. (y) Δικαιώματα non sunt sporulae, redditus, aut contributiones, vt vertit IAC. GOAR, sed actus iudiciales, & allegationes, quae in iudicis & caussis dicendis proferuntur, vel vt ipse CANGIVS in Glossario mediae graecitatis interpretatur: δικαιώματα dicuntur iustificationes. Similiter προσφερέματα recentioribus Graecis sunt, quaecunque in iudicis proferuntur & porrigitur. Sic perspicua erunt verba Graeca, quae secundum editionem MORINI verto: *Decanus (constitutus est) vt sacerdotes vocet, (vel citet) ad caussam dicendam, & allegationes in iudicio faciendas.* Habes nunc Decanum lectorem, in ecclesia Constantinopolitana imitatione Palatii constitutum. Decani Palatini vocabant reos, similius ecclesiastici; illi custodiebant decanicum, vel carcerem, haud

(x) Eucholog. ibid. p. 225. & (y) IBID. p. 330.
227.

haut secus ac hi, cum etiam ecclesiis Decanica fuerint; illi cum cursoribus iungebantur, (z) hi cum viatoribus; illi vi-
lissimum ministeriorum genus in Palatio erant, hi vilissimum in ecclesia. Sic omnia conspirant; sed si Goartianam
versionem sequaris, tunc mera nox. Ceterum antiquis
temporibus in ecclesia Rauennatenſi Decanus fuit huic Con-
stantinopolitano, ni fallor, simillimus. Collocatur enim
in serie clericorum post diaconos, subdiaconos, lectors &
horrearium, (a) adeoque talis fuisse non poret, quales
nunc sunt Decani ecclesiarum cathedralium. Agnotit
hanc similitudinem inter ecclesiam Rauennatensem, quae
etiam alias graeciſſauit, & Constantinopolitanam doctissimum
vir BENEDICTVS BACCHINIVS, (b) quamvis Decani no-
men & officium ex communi sententia, quam modo refel-
limus, interpretetur.

§. VIII. Inter tot Decanorum figuras nulla tristior est, quam vespillonum, quibus officium curandae cadauerum sepulturae fuisse constat, nomen autem a decuriis, in quas descripti erant, datum esse creditur. Nos non diu retinebit lugubris turba, quam alii satis descripsérunt, praeferim vero viriusque codicis interpres. Coacta est auspiciis Constantini M. si Iustiniano legislatori credamus etiam vt historico, (c) quamvis nonnihil caussarum super sit cum IAC. GOTHOFREDO (d) suspicandi, datum aliquid esse gratiae nominis Constantiniani, cui saepe successorum acta vel ideo assignantur, vt laudabilium institutorum primordia, iam a primo Christianorum Imperatore repetita, velut augustiora, certe plebi Christianae cariora fierent. (e) Constantinus igitur, vt in sumtibus funerum egenis succurre-

B 3 return

(z) IAC. GOTHOFRED. ad L. librum Pontificalem Rauennat. p.
un. C. Theod. de Decan. 100. apud MVRATOR. cit. loc.

(a) vid. MVRATOR. Script. rer. Ital. Tom. II. p. 97. (c) Nouell. XLIII. & LIX.
(d) IAC. GOTHOFR. ad L. I. C. Thes. de la C. d'U. N.

(b) BACCHIN. not. in AGNELLI (e) vid. LEONIS Nouell. XII.

retur, Constantinopoli DCCCL. ergasteria vel officinas constituit, Anastasius autem Imp. ad MC. auxit, ex quorum redditibus pauperes humari possent. (f) Qui sepulcro faciendo feretroque portando destinati erant, *Decani* dicebantur, ex quibus vero causis, non multo certius definieris, quam de proxime superiore decanorum classe. Nam quod in decades vel decurias diuisi hoc nomen obtinuerint, *PANCIROLLVS* coniectatur, nullo demonstrato decadum vestigio; nec sine colore contra dici posset, insolitus videri, quod omnibus una decuria comprehensis Decanorum nomen adhaeserit, quandoquidem illud his tantum dari solet, qui decuriam ducunt. Nescio, an rectius diceretur, exemplo Decanorum militarium nomen inoleuisse. Nam vt is, qui contubernio militum praecerat, denos committones suos obseruare, ac vt illis bene sit, curare tenebatur, ita procul dubio ad eundem Decanum proxime pertinuit, vt his, qui ex contubernio moriebantur, iusta fierent, propiscere. Iam cum illi, qui Constantinopoli funera curabant, in hoc certe officio cum Decanis militaribus aliquam similitudinem habarent, neque infrequens sit, militaria nomina ciuilibus applicare ministeriis, ego non prorsus absurde Decanos vespillones imitatione militum dictos esse coniicerem, neque tamen, si coniecturam e longinquo peritam cauferis, multum refragarer. Quicquid sit, non semper fuit constans horum Decanorum numerus, & ad nongentos quinquaginta redacti fuissent, si sua semper auctoritas constitisset *Ligi 4. C. de SS. Eccles.* quam non intellexit *IO. DARTIS.* (g) Ille Decanos in hac lege commemoratos, ecclesiae magnae Constantinopolitanae Canonicos fuisse, & hos *κατ' έξοχίν* Decanos dictos esse putat, quia Canonicci huius ecclesiae supra ceteros aliarum omnium tantum eminuerint, quantum quisque Decanus supra Canonicos suos. Quae viri docti

(f) conf. *PANCIROLL.* ad No-
tit. vtriusque Imp. cap. XXVIII. fic. *Sect. I. cap. III. p. 18.* Opp. Tom. II.

(g) *IO. DARTIS Tract. de bene-*

docti somnia disparebunt, si de vespillonibus, non de Canonicis in hac constitutione agi, de ipsis vero vespillonibus decanis, num clerici fuerint, adhuc ambiguus cogitauerimus. Tales funerum curatores, uti non solum Constantinopoli, verum etiam Romae, (h) & forte in aliis quoque ciuitatibus constituti sunt, ita non vbius *decanorum*, sed & fossariorum, leticiorum, collegiorum & copiatarum nomen acceperunt. (i) *Copiatae* non a voce κώστας, seu *labor*, vt vulgo fit, sed αὐτὸς τῆς κώστας οὐαὶ πονάζειν, quod *quietem* & *quiescere* significat, cum IACOBO GOTHOFREDO deducerem, cuius etymologiam sugillare non debuisset WILDVOGELIVS. Est enim, si a *quiete* deducas, εὐθημισμός, quem de defunctis loquentes adhibere solent; αὐτὸς τὰς κώστας vero omnes operarii & baiuli *copiatae* dici possent; & quod vulgariter nouellarum interpres ποναταῖς verterit *laboratores*, illud parum momenti habere poterit apud eos, qui huius versionis indolem norunt. Ceterum quod BARONIVS (k) cum his Decanis comparat *confraternitatem mortis*, Romae aliquaque locis institutam, HENRICVS SPONDANVS vero *Sodalitatem misericordiae*, (l) ac demum ESPENIVS (m) *Alexianos*, illud recipi potest, modo memores simus, in similitudine quadam veteranum & recentium institutorum pleraque tamen esse dissimilia.

§. IX. Post tot Imperii Romani Decanos laudarem meos Francos, nisi quicquid de Decanis & Tunginis eorum dici potest, occupatum esset ab aliis. Inter eorum iudices occurrere centenarios & Decanos, res est ex Pacto Salico (n) & aliis populorum originis Germanicae legibus notissima;

qua-

(h) IAC. GOTHOFR. ad d. L.

(i) BINGHAM. Origin. eccl. Lib. III. cap. VIII.

(k) BARON. annal. ad a. 336. in fine.

(l) HENR. SPONDANI Coemet. Sacra Lib. I. P. II. cap. IX. p. 2II.

(m) VAN ESPEN. Iuris Eccles. P. II. Tit. XXXVIII. cap. IV. §. VIII.

(n) Lex Salica Tit. XLVII. §. I. & EGGARD. Comment. ad hunc l. conf. WACHTER. Glossar. v. Dingmann.

quarum loca cum collegerit CANGIVS, (o) ego non describo. Centenarios centum familiis Decanos decem praefuisse, quamvis opinio peruvulgata, & ab ipso doctissimo MVRATORIO recepta, (p) mihi vero non satis explorata sit, in medio relinquam. (q) Wisigothorum moribus Decani pace militiaque officium suum exequabantur, domi iudices in bello Decaniæ suae duces, (r) vt centenarii centenae. Numquid vero centenarii & Decani Centrauiis & centenae iudiciis originem & nomen dederint, prolixe disputatione BRVMMERVS, (s) SCHILTERVS, (t) MEINDERSIVS (u) & EC CARDVS. (x)

§. X. Nunc ad monachorum claustra. Nam si vnam Decanorum institutum eo valuit, vt omnia fierent ordine, ac immemores officii admoneantur, ea re forsan nullibi magis opus fuit, quam in monasteriis multitudine coenobitarum infrunita referris. Itaque siue militum exemplo factum sit, siue eadem necessitas, quas milites ferocientes decanorum ope compescere suaserat, etiam in monachis immorigeris eiusmodi remedium postulauerit, antiquis sane temporibus nihil salutarius visum fuit, quam vt denis monachis Decanus praeficeretur, quod & Regula S. Benedicti recepit, vt mox videbimus. Prisquam vero ad hos Decanos morum magistros descendamus, obseruatu dignum est, in quibusdam monasteriis post Abbatem fuisse unum vel plures Decanos, qui praesertim fundos & praedia curabant, & hinc villarum prouisores vocabantur. (y) Tales fuerunt in monasterio Clu-

(o) CANG. Glossar. v. Decanus (t) SCHILTER. Exercit. ad Pand. conf. Ill. HEINECC. elem. Iuris p. 195.

Germ. Lib. III. §. 23. (u) HERM. AD. MEINDERS. de

(p) MVRATOR. ad Leg. Langob. iudiciis centenariis cap. II. & III. Tom. I. P. II. p. 60.

(q) conf. HEINECC. cit. loc. (x) ECCARD. ad Leg. Salicam p.

(r) LEX. Wisigoth. Lib. IX. Tit. II. §. 3. & Lib. II. tit. I. §. 26. 87. seq.

(s) BRVMMER. de Scabinis cap. IX. §. 10. (y) EDM. MARTENE Comment. in Reg. S. Benedicti p. 338.

Cluniacensi, quorum officia describuntur in eius *antiquis confuetudinibus*; (z) talis etiam in monasterio S. Martini Turonensi fuisse videtur, cui diplomate Caroli crassi ius bona monasterii administrandi confirmatur. (a) Cassinenses monachi olim Decanum proxima post abbatem dignitate habuerunt, (b) non multum a Decano ecclesiae cathedralis diuersum; quod mirum non est in Abbatia, quae olim episcopalis cathedra fuit, (c) eaque sublata, praeter alias pristini iuris reliquias, Decanum seruauit, donec Urbanus V. monasticae disciplinae restaurator, in eius locum substitueret Priorem. (d) In quibusdam aliis monasteriis Piores dicti sunt Decani, velut in Fossateni S. Mauri. (e) Sed haec exempla rarius obvia, nec tanto consensu recepta sunt, quam antiquissimis temporibus illud institutum, quo curam morum & disciplinae monasticae de denis hominibus Decani gerebant. Iam enim Augustini & Hieronymi tempore in Aegypto seruabatur, ut in monasteriis, quae multitudine monachorum affuebant, nouenis vel denis Decanus praeficereretur, qui acta coenobitarum interdiu nocte exploraret, afflictos consolareretur, immorigeros moneret, operarum pensa distribueret, & recipere perfecta, quicquid autem agebatur, ad Abbatem referret. (f) Regula S. Benedicti hoc institutum imitata est, (g) & in maioribus congregacionibus Decanos denis monachis praefici voluit, fratres nimirum sanctae *conuersationis*, qui-

C buscum

(z) LVCAE D'ACHERY Spicileg.
Tom. I. p. 687.

(a) EDM. MARTENE & VRSINI DVRANDI amplissima collect. Tom. I. p. 218.

(b) ERASMI GATTVLA histor.
Abbat. Cassinensis Tom. I. p. 451.
seq.

(c) NICOL. COLETI append.
ad VGHELL. Ital. Sacr. Tom. X. p.
40. seqq. GATTVLA cit. loc. p. 73^o.
seqq.

(d) GATTVLA cit. loc. p. 524.

(e) EMUND. MARTENE ad reg.
S. Benedicti p. 338.

(f) THOMAS SIN. vet. & noua eccl. discipl. P. I. Lib. III. cap. LXV.
ALTESERRA Origin. rei Monast.
Lib. II. cap. IX. BINGHAM. Origin.
eccl. Lib. VII. cap. III. §. XI.
GAZAEVS ad CASSIAN. Lib. IV.
cap. VII. X. & XVII.

(g) Reg. S. Bened. cap. XXI.

buscum Abbas onera sua partiretur. Obseruarunt regulam Abbates eo lubentius, quo ferociores experiebantur praepositos, qui, vt ait concilium Moguntinum, (h) interdum *incidebant in laqueum diaboli*. Abbatum igitur fuit Decanos eiusmodi constituere, (i) virgaecque traditione velut inuestire, (k) ipsum autem Decani officium tam arduum erat ac difficile, vt bonus vir, qui suscepsum munus explere satagit, aegre se molestissimis conditionibus oneraret. Numquid enim tu susciperes, decem monachos, quibus modis cupiditatum & affectuum impetus frangerent, docere; interdiu noctuque quid agant, vbi sint, aut quorundam meent ac remeant, obseruare; lectos circumire, & dormitantes excitare ad matutinas; durissimo silentio loquacium os comprimere; quicquid aut cogitauerint, aut somnauerint, aequo animo audire; ne quid a prandientibus immodeste agatur, cauere; pensa distribuere & labores exigere; & quae sunt huius generis plura. Non cauillamur austera piorum fratrum studia. Hanc enim officiorum Decani summam contraximus ex doctissimo in regulam S. Benedicti commentario EDMUNDI MARTENE. (1) Facile itaque potest existimari, cur hi *coenobitarum patres*, vel *proabbates*, vt claustrorum Decani nonnumquam appellabantur, (m) magis ex meritorum & virtutis conspicuae praescripto, quam secundum tempus, quod quisque in monasterio exegerat, eligendi fuerint. Siue autem hoc instituto Abbates protestatem suam minui postea crediderint, siue morum illi censores monachis ipsis parum grati visi sint, hoc certum est, Decanorum ordinem in monasteriis non diu viguisse, apud Cistercienses vero numquam receptum esse. Habent tamen nunc Cassinenses eiusmodi Decanos, quamvis non

(h) HARDVIN. Acta Concilior. Tom. IV. p. 101.

(i) TAMEVRIN. de iure abbat. Tom. III. Disp. II. qu. II.

(k) MENARDVS Conc. Reg. cap. XXVIII. §. 2.

(1) EDM. MARTENE comment. in regulam S. Bened. cap. XXI. p. 340. seqq. & de antiquis monachor. ritibus Tom. I. p. 4. p. 74. seq.
(m) IO. MABILLON. Analecta p. 430.

non denis monachis, ut nominis ratio postularet, sed paucioribus, regendis praefectos, (n) de quibus extat bulla Clementis X. (o) atque ex eodem instituto *Decanus maior* apud Fulenses supereesse videtur. (*) Et quoniam in hac opella vbius alterum oculum ad teneri sexus Decanas retorquere coepimus, omitti non potest, quod etiam in virginum claustris tales fere Decanae vel Decanissae quondam fuerint, quamvis non per omnem vitam, sed in certum tempus hac cura morum onerarentur. (p).

§. XI. Ad exemplum monasticae disciplinae Canonici denis, vel paucioribus Decani praefecti sunt, & Decanis omnibus iterum ex more coenobitarum Decanus maior, qui, postquam Praepositi ecclesiarum negotia ciuilia curare cooperunt, potestatem & curam spiritualem accepit, & quando ceteri Decani minores temporum decursu sublati sunt, solus huius nominis dignitatem retinuit. Ita fere THOMASSINVS originem Decanorum in ecclesiis cathedralibus & collegiatis inuestigavit, (q) certe in EBBONIS, quem adducit, verbis ecclesiae Remensis Decani plures commemo-rantur. Similiter antiquis temporibus in ecclesia Mediolanensi decem religiosos viros, quasi per decalogum legis, super decem homines praepositos fuisse, memorias prodidit LANDVLPHVS, (r) quamvis eis Decanorum nomen adhaesisse non competerim, sacerdotes vero decumani, quales etiam Mediolani fuerunt, plane ad nostros Decanos nihil facere videantur. Olim in Hispania non ad omnem vitam, sed in certum tempus Decani Capitulis praefecti sunt, quod nouum vestigium est monasticae disciplinae, haud secus ac illud, quod per vniuersam fere Hispaniam Decani vocati sint

C 2 Prior

(n) MARTENE ad reg. Ben. p. 340.

(o) Bullar. Roman. edit. Hieron. Maintardi Tom. VII. p. 317.

(*) SCHANNAT. Historia Fulden-sis p. 36.

(p) Vita S. Liobae c. III. in Saec. III. Benedict. Part. II.

(q) THOMASSIN. vet. & noua

eccles. discipl. P. I. Lib. III. cap. LXVII. p. 848. seq. conf. GON-ZALEZ TELLEZ ad Decret. Lib. I. p. 101.

(r) LANDVLPH. Mediol. Hi-stor. Lib. I. cap. VII. apud M V-RATOR. Script. Ital. Tom. IV.

Priores. (s) Quicquid de origine dicendum sit, illud inter omnes constat, in ecclesiis cathedralibus & collegiatis esse Decanos, qui pro institutorum varietate vel praepositum sequuntur, vel ubi praepositus nullus, prima dignitate gaudent. Dignitate gaudere dixi, quamvis interpretes iuris canonici de ea re disputent, & Decano eam esse negent, utique si personatum & dignitatem cum iurisdictione mixtam secundum dicendi genus interpretum iuris canonici intellegas. (t) Concedunt tamen, si dignitatis vox aliquanto laxius accipiatur, praesertim cum non ubique iurisdictionis omnis expersit, & a sede Romana vel eius Legato causis delegari possit. (u) Est igitur immediatum caput capituli, (x) & eius nomine comprehenditur, (y) quamvis & hoc iterum in utramque partem disceptetur, quam recte dici possit caput Capituli. (z) Utrum praecedat an, sequatur Archidiaconum, pro temporum & locorum varietate varie deciditur, (a) & ut ex Sicilia regno bina tantum exempla in medium afferam, in ecclesia Panormitana Decanus Archidiaconum sequitur, in Messanensi praecedit. (b) Similiter in Capitulo Tridentino Decani dignitas potior est, (c) & sic, opinor, nostris temporibus in plerisque locis obtinet. Quin praepositum dignitate sequatur, in plurimis ecclesiis Germaniae dubio caret, & tam ex notitia singulorum episcopatum, quam ex Rotae decisionibus aliisque testimonio.

nisi

(s) INNOCENT. III. epist. Lib. I. p. 43. edit. BALVZ.

(t) BARBOSA Iur. eccles. Lib. I. cap. XXVI. §. 2.

(u) P. FRANC. SCHMALZ. GRVEBER. Ius eccles. vnius P. I. p. 197. BOEHMER. Consult. & dec. P. I. resp. LI.

(x) WAGNERECK Comment. SS. Canonum p. 546.

(y) IBID. p. 541. FERMOSINI de potestate Capituli sede vacante

Tract. III. p. 217. CORVINI de personis ac beneficiis ecclesiast. Lib. III. p. 449.

(z) vid. FRANC. MAR. PITONIVM de Controversiis patron. Tom. II. p. 283.

(a) GONZALEZ TELLEZ cit. loc.

(b) ROCCHI FIRRI Sicil. Sac. Vol. II. p. 170. & 356. in GRAEVII thesaur. Sicil. Tom. III.

(c) LVNIG. Reichs-Archiv. Spicil. Eccles. Contin. III. p. 1230.

nisi palam est. (d) Eligitur autem Decanus ex gremio capituli, neque enim illud aliunde sibi caput aptat, quam ex membris suis; (e) confert tamen Pontifex Decanatum, si vacauerit in mense Papali, (f) nisi forsitan capitulum priuilegio consequuntur sit, ut eiusmodi dignitatem, quoconque mense vacanter, electione libera conferre possit. Tali iure Leodienses vtruntur, (g) & aliae quaedam ecclesiae, cumque & Salisburgenses beneficio Leonis X. obtinuerint, ut praepositura, decanatus, & alii, quos in capitulo haberent, personatus & dignitates electioni subiacerent, postea vero a. 1670. Clemens XI. decanatum vacantem Cardinali de Hassia contulisset, capitulum, ut Comes de Lodron, quem Decanum elegerat, hac dignitate ornaretur, obtinuit, & ab ipsa Rota secundum electionem pronunciatur est. (h) Numquid ad Decanatum primariae preces Imperatoris extendantur, iudicent alii; (i) de potestate vero regis Galliarum, & quam recte haec dignitas ab eo conferatur, prolixo disputatione
 RENATVS CHOPPINVS & STEPHANVS BAVNY. (k) Electus solemniter inauguratur, & ubi receptum est, per episcopi annum inuestitur, (l) aut insignia, quae forte singulare priuilegio Decano cuiusdam ecclesiae concessa sunt, occupat. Ita enim Decanus Messanensis in supplicationibus publicis vtitur argenteo baculo, (m) & qui Pragae ecclesiae Wisselradensi praeest, quando sacra facit, ex priuilegio Alexandri II. mitra, sandaliis aliquo Pontificali apparatu

C 3 incedit.

(d) V. LAUR. NICOLARTS Pra-
xin. beneficiar. Tit. I. p. 45. AN-
DREAE PISCARAE CASTALDO
Praxini. Caeremoniar. Lib. I. Sect.
VIII. p. 106.

(e) BOEHMER. Ius ecclef. Lib.
III. Tit. V. §. LXIX.

(f) NICOLARTS cit. loc. p. 59.
(g) IBID. p. 61. seqq. VAN ES-
SEN Ius ecclef. Tom. I. p. 616.

(h) P. HANSIZII Germania Sa-
gra Tom. II. p. 839. 841.

(i) WAGNERECK. cit. loc. p.
510.

(k) CHOPPIN. de sacra politia
forensi Lib. I. Tit. I. BAVNY nota
beneficiorum praxis Disp. V. p. 185.

(l) v. Catalog. Decan. Laudumens.
append. ad GIBERTI Opp. ex edit.
DACHERY p. 823. sq.

(m) ROCCHI FIRRI Sicilia Sa-
gra p. 377.

incedit. (n) Similiter Salisburgi, cum iam pridem Praepositus mitra, baculo ceterisque pontificalibus ornamentis gauderet, Decanus, qui tunc erat Leopoldus Antonius Eleutherius L. B. de Firmian a Clemente XI. obtinuit, ut ipse simili ornatu in dioecesi Salisburgensi & extra fines eius etiam coram Cardinalibus & Legatis a latere gaudere posset. (o) Ceterum CANGIVS (p) animaduertit, in quibusdam ecclesiis receptum esse, ut Decani dignitatis suae professionem superpellio induit, gladio cincti, pera instructi, ac denique calcaribus aureis ornati, accipitre manibus impostrato acquirant.

§. XII. Quamvis igitur, ut diximus, Decani cathedralium ecclesiarum iure communi non gaudeant jurisdictione in Canonicos, eam tamen in plerisque Germaniae locis ita exercent, ut etiam Episcopus manum cohibeat. (q) Cumque Decano προσδέπταν in choro prae canonicis concessam esse non ambigatur, consequens est, ut eis carere non possit, quea inde iure communi dependent, nimur potestate multam dicendi, ac immorigeros in choro coercendi, aut si quis officio suo non satisfaciat, neglectas partes alii exercendas committendi. (r) Conuocat, quamvis alias etiam ipsum praecedat praepositus, capitulum vel diebus statim, vel quando necesse est, neque conuocandi veniam ab episcopo petit, nisi qua forsitan ecclesia consuetudine recepit, ut peteretur. (s) Vtitur eodem iure etiam in magni momenti negotiis, velut in electione Episcopi, coadiutoris, praepositi &c. & publice affixa

(n) IO. FLORIANI HAMMER-
SCHMIDT Prodrodus gloriae Pra-
genae cap. V. p. 374.

(o) P. HANSIZII Germania sacra
Tom. II. p. 906. seqq.

(p) CANG. Glossar. Latin. v.
Decanus.

(q) WAGNERECK. cit. loc. p.

238. GONZALEZ TELLEZ Tom.
II. p. 864.

(r) Card. de LVCA de jurisdict.
& foro competente Dis. XVII.
n. 2. p. 48. ESPEN Iuris eccles. P.
I. p. 67.

(s) FERMOSINI de potestate
Capituli sede vacante Tract. III. p.
211.

affixa schedula secundum plerarumque ecclesiarum Germaniae mores, canonicos & omnes, quorum interest, adesse iubet, locumque ac diem significat. Tam illibarum vero Decanis ius conuocandi seruari oportet, vt electio, cuius caufa forsan alius ex capitulo canonicos conuocauerit, vel ex hoc uno vulnere collabi & nulla videri possit. Ita disputatum est superiore saeculo, cum Christophorus Bernardus a Galen Episcopus Monasteriensis

Αμφότερον τ' ἵερεύς τε Θεοῦ κηρασέος τ' αἰχματίς

coadiutorem sibi episcopum Paderbornensem dari cuperet, a Scholastico vero, quia de Decani voluntate non bene sperabat, capitulum conuocari curauisset. (t) Refert ad Capitulum Decanus, quicquid ad eius curam spectat, & de negotiis relatis ex plurium suffragiorum sententia decernit. Alicubi iure duorum suffragiorum gaudet, velut Tridenti, (u) tam in electionibus & prouisionibus, quam in aliis aëtibus capitularibus; quod, vt oblineat, cum iure communī cautum non sit, opus est consuetudine, priuilegio, vel alio quo titulo singulari. (x) Ceterae, quibus officium Decani continetur, partes, secundum diuerfas capitulorum consuetudines variae sunt. Incumbit ei plerumque pastorale regimen, & animarum curam, ciuilibus negotiis prouidentiae praepositi relictis, gerit. (y) Absentis episcopi vice inchoat officium ecclesiasticum & processiones, supplications, aut quicquid ad sacra pertinet, nisi receptum sit, vt vicarius generalis hoc officio fungatur, ordinat. (z) Ecclesiasticae disciplinae

(t) Card. DE LVCA de Canon. & Capitulo disc. XXVII. p. 371. seq. in Theatro verit. & iustit. Tom. I.

(u) IBID. Disc. XXVIII. p. 375. HIERON. GONZALEZ Glossema ad regulam octauam Can-cellariae p. 437.

(x) ESPEN Iuris eccl. Vinu. P. I. T. VII p. 45.

(y) SCHANNAT. histor. Wor-mat. Episc. p. 70. SCHMALTZ-GREVEBER. Ius ecclesiast. p. 197.

(z) BARBOSA Iuris eccl. Lib. I. p. 295. SCHMALTZ GR. cit. loc.

plinae, ne quid detrimenti patiatur, prospicit; literas ad capitulum datas resignat, & ad eas responderet; (a) Canonicos de vitae ac morum honestate diligenter admonet, & in vniuersum, quicquid in bene constituta domo paterfamilias ageret, exequitur. (b) Tenetur igitur regulariter ad *residenciam personalem*, (c) quamvis alicubi dispensari soleat, si decanatus nuda sit dignitas, & nulla iurisdictione, nullis fratribus, dote ac suffragio in capitulo gaudeat. Requiritur etiam, vt sit presbyter, (d) & vt XXV. annum attigerit; (e) eruditionem magnam exigiri non video. Quamvis enim in ecclesiis Galliarum Decanus, si fieri potest, nonnisi Doctor vel Licentiatus Theologiae, vel iuris Canonici constituantur, (f) in concilio tamen Tridentino tale quid non requiritur, (g) & mediocriter doctus de Decanatu desperare non potest, si verum est, Canonicis sufficere, *ut sciant bene legere, confluere ac declarare, ne ad capitulum conueniant oves & boues;* vtor autem verbis, quibus radiat *Stella Canonorum FRANCISI CECOPERII.* (h) Qui haec & plura Decanorum ecclesiae cathedralis officia nosse cupit, adeat Concilium Coloniense a. 1536. Moguntinum a. 1549. Augustinum 1548. & alia, quae recenset GODEFRIDVS HERMANT. (i)

§. XIII.

(a) LVNIG. Reichs-Archiv Spicileg. eccles. P. II. p. 47. 77.

(b) MOLAN. de canon. Lib. II. cap. VI.

(c) CABASSUT. notit. eccles. p. 59. PROSP. FAGNANI Com. in Lib. I. Decretal. p. 94.

(d) MARTENE amplissima collectio Tom. VII. p. 67. Tom. VIII. p. 1482. ECCARD. Corpus Script. medii aevi Tom. II. p. 45. & thesauro. amedot. Tom. II. p. 486.

(e) HENR. CANISII Summa iuris Canonici Lib. I. Tit. XI. §. 48.

Concilium Trident. Sess. XXIV. cap. XII.

(f) LAVR. BOCHELLII de creta ecclesiae Gallicanae p. 922.

(g) BARBOSA Collect. in concil. Tridentin. p. 316.

(h) FRANC. CECOPERII Stella Canonoric. p. 260.

(i) HERMANT. Clavis eccles. discipl. p. 173. conf. PARAVICINI Polyantheam. S S. Canonum p. 449. LVNIG. Reichs-Archiv Spicileg. eccles. Cont. III. p. 822. sq.

§. XIII. Decanus capituli ecclesiae collegiatae nonnullus habet ab eo, qui canonice ecclesiae cathedralis praestet, discrepare videtur, (k) verum nec illius iura & officia in tanta consuetudinum varietate certis legibus comprehendendi possunt. Modo enim iurisdictione ordinaria fori externi, ut fert interpretum iuris canonici loquendi ratio, gaudet, & excommunicatione aliquis censitris in clericos sibi subiectos vtitur, modo leuiores tantum causas cogitoscit. (l) Num Praelatus sit, ambiguit; nempe si huius nominis aetatem significationem, quae cum certis honoribus & prerrogatiis coniuncta est, illi aptare velles; alias enim vulgarem loquendi usum eiusmodi Decano praelati nomen impertire dubio caret. (m) Cedit Praeposito, cuius dignitas in plerisque ecclesiis collegiatis Germania primaria est; (n) alicubi Decanatus plane tertius in capitulo locus haberur, quando bina priora Praepositus & Archipresbyter occupant. (o) Est, ubi Decano adiungitur Vice-Decanus, (p) plerumque vero Senior officium eius, siue defunctus, siue absens sit, exequitur. Quid in illius constitutione Rex Galliae possit, iidem, quos supra citauimus, testes RENATUS CHOPPINVS & STEPHANVS BAVNY ostenderunt. Quam plenum vero difficultatis habeatur eius munus, RODERICVS ZAMORENSIS (q) unumquemuis Decanum admonuit, cuius verba, cum etiam ESPENIVS (r) eis usus sit, quidni adscriberem: *Collegium regendum Decanus suscipit, amo verius feram indomiram gubernandam. Parua domus aegre & difficulter, magna collegia, praesertim sine sapientia aut virtute, tanto reguntur difficultius,*

D

ius,

(k) vid. CHOPPIN. de sacra politia Lib. I. p. 31.

(l) SCHMALTZGRVEB. cit. loc. p. 198. MARTENE thesaurus anecdot. Tom. II. p. 205, seq.

(m) ZYPAEI responsa iuris Canonici p. 51.

(n) SCHMALTZGR. cit. loc.

(o) Card. de LVCA de Canonicis p. 331.

(p) FOPPENS historia episcopatus Sylvaconis p. 173.

(q) Specul. Vitae humanae Lib. II. cap. XIII.

(r) VAN ESPEN. de instit. & offic. Canonicor. 209.

lius, quanto quot sunt singuli, tot singulis feruntur opinionibus. Si Decanus laetatur de honoris dignitate, metuat onera, metuat pericula, quae tot sunt, ut enumerari facile non possint.

§. XIV. Succedit, ut de Decanis ruralibus dicamus, qui presbyteris per titulos in urbe rurique dispositis praesunt, & a denario numero nomen accepisse videntur, quia quisque decem titulos rurales cura sua complectitur. (s) Sed huius numeri ratio, si umquam habita est, nostris certe temporibus non obseruatur, quibus longe pluribus titulis, interdum etiam paucioribus, unus Decanus praefidet, vt ex catalogis parochiarum per Decanatus distributarum manifestum est. (t) Imo iam olim tam late patebat eiusmodi Decanatus, ut episcopi de ipsis diuidendis cogitarent. (u) An in locum Choropiscoporum succedissent, quamuis sint, quibus haec conjectura placet, (x) ego temere non definierim; certe necessarium fuit, tot plebanos interdum officii sui parum memores apposito custode, quoad fieri potuit, compescere. Sustinet igitur Decanus ruralis munus Archipresbyteri, & inter utrumque tanta similitudo est, ut etiam nominibus promiscue utamur, quamuis olim discriminem aliquod fuerit, sed per obscurum. (y) Constituuntur ab episcopis, vel, postquam a Capitulo designati sunt, ab ipso confirmantur; antiquis autem temporibus, vt ex HINCMARO docuit THOMASSINVS, electioni & suffragiis parochorum locus fuit. (z) His Decanis neque dignitas comperit, nec personatus, si illis vocibus ex usu iuris canonici significatio-

nem

(s) BOEHMER, annot. ad CLAV. BII FLEVRY Institutiones Iuris Canon. P. I. cap. XIIIX. §. VI.

(t) FOPPENS historia episcopatus Sylvaeducensis p. 326. SCHANNAT. Histor. Episcop. Wormat. p. 7. BALBINVS Miscellan. histor. Bohem. Deod. I. Lib. V. Part II. p. 9. seq.

(u) INNOCENT. III. Epistolae Tom. II. p. 118. seq. edit. BALVZ.

(x) SAM. MARESII annot. in M. ANTON. CVCCHIUS Inst. Iuris Canon. Lib. Tit. XVIII. p. 76.

(y) THOMASSIN. vetus & noua eccles. discipl. P. I. Lib. III. cap. 76. §. XIV.

(z) IBID. p. 848.

nem aptes; supereft eis rāmen aliqua iurisdictionis, quamquam admodum circumscriptae, species. De cauſis pauperum & miserabilium personarum alicubi cognoscunt, modo ne V. vel X. solidos excedant, nullam vero litem alicuius momenti, & omnium minime matrimoniales aut quaestiones de criminibus ad se trahere possunt. Itaque hoc praesertim consilio instituti sunt, vt per eos Episcopus velut in oculis suis omnes dioecesis suae regiones gerere, ac ne quid detrimenti ecclesia patiatur, prospicere queat. Quare tot concilii & synodalibus statutis, (nullius enim Decani officium ecclesiasticis sanctōnibus tam accurate describitur, quam ruralis,) cautum est, vt statim diebus parochias Decanatus sui non per procuratores aut exploratores, sed ipſi visitent, & saepius in anno presbyteros prouidentiae suae creditos, conuocent, quid rerum, agant ex ipsis & parochianis eorum explicantur, statuta synodorum doceant & inculcent, aut, si qui extra oleam vagati sint, Episcopo vel eius Officiali denuncient. Tales conuentus, quos aetas prisca Sessiones, Synodos, Capitula, Consistoria, Calendas appellauit in Germania, Galliaque frequenter haberi consueuerunt, in Italia sero recepti sunt, quod in arctis episcopatum Italicorum limitibus episcopo, qui satis ipse saluti ecclesiae prospicere potest, vt alienis oculis videat, non sit necesse, apud nos vero tam late patentes dioeceses eiusmodi ministerium postulare videantur. (a) Qui officium Decani ruralis & praesertim harum visitationum indolem accuratius nosse cupit, illum statuta synodalia vniuersitatis ecclesiae consulere oportet. Ediderunt autem Treuerensia, Cameracensia, Cenomanensia, Sueffionensia, Leodiensia, & Meldenia EDMUNDVS MARTENE, ac VRSINVS DVRANDVS; (b) Andegauensia D'ACHERY, (c) Moguntinensia &

D 2

Eyste-

(a) THOMASSIN. loc. cit. P. II. & monument. collect. Tom. VII. p. 481. seqq.

p. 113, p. 1330. p. 1402. Tom. VIII.

(b) EDM. MARTENE & VRS.

p. 1551.

DVRANDI thesaur. anecdot. Tom. IV. p. 856. & 906. Amplissima Script.

(c) D'ACHERY Spicileg. Tom. I. p. 728.

Eystetensia FALCKENSTEINIUS, (d) Fuldensia SCHANNATVS, (e) vt alios raceam. (f) Sed hoc institutum Decanorum ruralium, & praesertim statuae coitiones olim perquam degenerauerant. Cum enim conuenissent, mox, vt fieri solet, potabant; interdum ipse Decanatus ab episcopo vendebatur, aut pacta mercede veniebat in locationem. (g) Ceterum quod ad nomina Decanorum ruralium attinet, obseruatu non indignum est, eos saepenumero *Vicarios foraneos*, vel *Decanos Christianitatis* appellari; *Archidecanum vero* eum, qui ceteris omnibus praefectus est. (h) De his, qui non prorsus dissimili instituto in ecclesiis Protestantium Decani vocantur, & Superintendentium vices gerunt, cum plus, quam satis est, scriperit WILDVOGELIVS, ego, promissi memor, dicere mitto.

XV. Decanas vel Decanissas inter Romanorum seruas & Christianorum moniales repertas iam supra produximus; nunc age, de his, quae sunt in ecclesiis, quantum opus erit, dicamus. Praeter moniales regularum rigore constictas iam a multis saeculis fuerunt Canonicae, quae laxiore disciplina vtebantur, neque regulas Benedicti aut Augustini obseruabant, & quamvis aliam sibi propriam in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio praescriptam acceperint, longo tamen intervallo ab institutis sanctimonialium deslegebant. His enim nec dura paupertas imperata est, nec, quae multo difficultius imperatur, castitas; quin potius, quando libuerit ex societate, qua cum aliis continebantur, exire, & thalamo praebendam commutare integrum fuerit. (i) Quod institutum neque probauerunt Pontifices,

(d) FALCKENSTEIN. Cod. Nordgau. p. 99.

(e) SCHANNAT. hierarch. Fuldens. p. 385.

(f) conf. BOCELL. decreta eccl. Gallic. p. 869. lqq. HERICOVRT. loix ecclesiast. p. 30. LVNIG. Reichs-Archiv Spicileg. eccl. Continuat. III. p. 1022. 1091. 1262.

(g) BOCELL. cit. loc. p. 814. MARTENE Thesaur. anecd. Tom. IV. p. 178.

(h) LVNIG. Reichs-Archiv. cit. loc. 1022.

(i) THOMASS. cit. loc. P. I. Lib. III. cap. LXIII. Deleitus Astorum eccl. viii. T. II. in notis p. 490. 492.

ces, nec prorsus damnarunt, (k) sed passi sunt eas Canonorum fæcularium ritu viuere, chori officia peragere, & tanta quidem alicubi libertate, ut Canonicos & Canonissas simul vno loco & choro sacra facere, ac processiones, quas dicunt, vnâ ducere permiserint. Quae Canonissis praefest, Decanissa, vel Abbatissa, vel Praeposita, vel Priorissa vocatur, (l) vt fert cuiusque loci consuetudo, quamuis in plerisque collegiis Canonissarum Germanicis, tam catholicæ quam protestantium religioni addictis, obtineat, vt Decanissæ dignitas sit secunda, vel tertia. Sic in Abbatia Quedlinburgensi Abbatissam & Praepositam sequitur Decanissa; (m) statim post Abbatissam in Gandersheimensi, (n) quoniam praeposita constitui desit, Heruordensi, & in aliis pluribus collocatur; in plerisque vero locis nulla est post Abbatissam Decana, sed mox Seniorissa nominatur. Decanissa fere isdem praerogatiis gaudet, ac Decanus Capituli, nisi quibus obstat sexus; & ius conuocandi penes eam est, excepto, si consuetudine competrat Praeposita, ut Quedlinburgi seruatur. Ut residentiam obseruet, aut per tempus, quo absuerit, fructibus careat, apud Gandersheimenses singulare statu canetur. (o)

§. XVI. Post claustrorum & ecclesiasticorum Decanos ad alia collegia tendentibus, prima se offerrer quæstio, numquid Archi-Episopus Moguntinus iure dicatur Electoralis collegii Decanus. Nam quod reapse in diplomatisibus quibusdam ab ipsis etiam Imperatoribus hoc nomen acceperit, notissimum est, ego vero diplomata iam ab aliis collecta (p)

D 3 non

(k) ASCAN. TAMBVRIN. de iure Abbat. Tom. IV. Disp. VII. Qu. IV. n. 4. & 5.

BERG. Historia Gandersheim. p. 1070. seq.

(l) Cardin. PETRA Commentarij ad Constit. Apostol. P. III. p. 88. seq.

(o) HARENBERG. cit. loc. p. 1080.

(m) IMHOFF. Notitia procerum Lib. III cap. XXX. § 8. FABRI Statis-Cantab. P. XIV. p. 442.

(p) KNICHEN. Opus polit. P. II. p. 242. B. SPENERI Statis-Nichts-Lyre P. VII. cap. I. §. vlt. LAMMERZ. de præminentia Sedis Moguntinae §. VI.

(n) IMHOFF cit. loc. HAREN-

non repeto. Nollem ex eorum auctoritate decidere, num Moguntino decanatus recte tribuatur, utique ab his, qui accuratis loqui amant, neque continuo similitudine una vel altera blandiente diuersis personis & rebus unum nomen imponunt. Quis enim nescit, quam multa sibi in ascensionis eiusmodi titulis peregrinis, & nostratis in ea, qua nunc res sunt, conditione minime aptandis, indulserit *aetas* parentum. (q) Haud equidem vter argumento, quo coccEIVS, SPENERVS & FRANCKENSTEINIVS vsi sunt, Decani nomen competere tantum praesidibus collegiorum ecclesiasticorum, quale non si electorale; Nam quod & directores collegiorum, quae nequaquam ad ecclesiastica retuleris, hoc titulo gaudeant, quot exemplis didicimus? Tuitius tamen eos incedere puto, qui malunt in commemo randis Archi-Episcopi Moguntini praerogatiis abstinere vocabulo *decanatus*, per se satis ambiguo, & propter hanc virtutis & significationis suae varietatem doctrinae de iuri bus electorum, quam reuerenter haberi oportet, minus apto, perpetuo autem vel diuturno vsu nequaquam recepto.

§. XVII. Cardinalium collegio praeesse Decanum, aequum parum opus est monere, quam officia & praerogatiwas eius prolixer referre, quandoquidem in hoc argumendo nobis otium fecit IO. FRID. MAYERVS, (r) cui pauca quadam addere, rem omnem vero breuiter delineare licebit. Quando primum creari coepit, parum constat. Petrum enim exemplo suo praeiuisse, & Apostolorum Decanum fuisse, vt Cardinalis Decanus patrum purpuratorum, defendat, si potest, M. ANTONIVS DE DOMINIS, (s) qui tam audacter dignitates distribuit. Consequitur Decanatum ille ex Cardinalibus episcopis, qui purpuram citius ceteris consequutus est, modo praesens sit in Curia Romana. Caut enim bulla Pau li IV.

(q) GRIEBNER. Opus. Tom. dinali Decano.
III. p. 65.

(r) MAYERVS in dissert. de Car- republ. eccl. Lib. I. §. XIII.

(s) M. ANT. DE DOMINIS de

li IV. quam ex Bullario magno totam descripsit MAYERVS,
ne quis Cardinalis episcopus Decanus renunciaretur , nisi,
quando dignitas illa vacat , in Romana curia versetur,
vel absit ex causa publica , tametsi ceteroquin temporis,
quod in purpura exegerit, diuturnitate ceteros omnes ante-
cederet. Ita nonnumquam factum est, vt Cardinalis, cuius
purpura recentior erat, praeferreretur, & per decanatus praero-
gatiuam ~~potestiam~~^(t) ante Cardinales citius creatos obtineret,
quamuis illi postea in continent ad curiam Romanam con-
uolarent, & residentiam, quam dicunt, facerent. Sub Cle-
mente XI. res eo extendi coepit, vt etiam Cardinalibus in
dioecesi sua, quam dispensatione Pontificis forsitan admini-
strant, versantibus absentia in petendo Decanatu obesset. (t)
Agitata etiam est quaestio, vtrum potior sit, qui altero citius
episcopus creatus est, quamuis serius Cardinalis , an
qui citius Cardinalis , quamvis serius episcopus; cumque
ea defuncto Cardinali Decano Fulvio Astallio a. 1721.
inter Cardinales Tanarium & Iudicem incideret, hic, qui
citius illo Cardinalis, sed serius Episcopus factus erat, iuribus
quidem suis sponte celsit, addita tamen est protestatio , ne
res ad exemplum traheretur, aut ea cessio posthac Cardina-
libus citius promotis fraudi esset. Cardinalem Decanum
simul episcopum Ostiensem & Velerensem esse, Pontifi-
cem coronare, & in electione Pontificis curaque conclavis
praerogativa non una gaudere, res omnibus notas, & quan-
tum satis est, a MAYERO descriptas, omitto.

§. XVIII. Qui praefest Rotae Romanae, tribunali omni-
um consensu illustri, & si audias ipsos Pontifices , in orbe
terrarum primo, Decanus dicitur. Obtinet autem ex con-
stitutione Pii IV. inter auditores Rotae decanatus acquiren-
di causa , quod de Cardinalibus ex Bulla Pauli V. obser-
uauimus, vt praesentes sint in curia. Nam si tempore quo
vacat

{t} CLEMENTIS XI. Opera p. VIII. p. 386.
1063. Bullarium magnum Tom.

vacauerit decanatus, Sub-Decanus; vel is, qui alias collegas suos aetate, quam in Rota exegit, vinceret, ob causam priuatam absit, succedit, qui proximus & praefens est. (u) Praeit Auditores omnes, etiam qui sunt insula decorati, nimis in ipsius Rotae sessionibus; nam alias extra Rotam praecedunt insulati. Hos autem non alios intellige, quam qui sunt in paribus infidelium. Si quis enim ad episcopalem cathedram & dignitatem, quae residentiam personalem postulat, promoueat, quin Rotae auditor esse desinat, dubio caret. (x) Olim inter praerogatiwas huius Decani relatum est, quod Magistrum S. Palatii praecedat; postquam vero Alexander VII. omnibus Auditoribus Rotae subdiaconatum conceisit, & hinc Magister S. Palatii post ultimum Auditorem in cappella sedere coepit, nunc inde nulla Decano tribui potest praerogativa. (y) Si quis inter Auditores Rotae recipiendus est, pertinet ad officium Decani, eius vitam, morum honestatem, facultates ac fortunas, & quicquid ad locum in hoc tribunali occupandum requiritur, diligenter examinare, & ad Vice-Cancellarium sedis Romanae referre. (z) Distribuit inter Auditores causas, eisque cognitionem committit, ac si quis lite sibi commissa nondum finita decesserit, alium continuo subrogat. (a) Claudit os, vt dicunt, & aperit Auditoribus formula solemni: *Auditor esto!* interdum etiam prolixiore, velut illae sunt, quas DOMINICVS BERNINVS (b) attulit, dignae, quae iterum describantur. *Si nec houi trituranti or claudi sacrae paginae permittunt, quid dicendum de viro egregio, & assidue allaboranti, & adeo versato in tot munib[us]. Sed nihilominus, ut tantisper quiescas & agnoscas, quomodo redatur ius ex hoc sacro Tribunali, sequendo maiorum exempla,*

(u) DOMENICO BERNINO tribunale della S. Rota cap. III. p. 56.
Bullarium magnum CHERVINI Tom. II p. 95. BARBOSA decision. Apostol. collect. L. p. 43.

(x) BERNINO & BARBOS. loc. cit.

(y) Card. PETRA ad Constitut. Apostolic. Tom. IV. p. 51.

(z) BERNINO cit. loc. cap. VI. p. 63. seqq.

(a) Card. PETRA cit. loc. p. 52.

(b) cit. loc. p. 180.

pla, os tibi claudio. Quando vero copia fandi datur : *Prope transgimus festum praecursoris domini, in quo laeta canebat ecclesia : Apertum est or' Zachariae & prophetauit!* Tempus igitur est, os tibi clausum referandi, ut & tu ius dicendo, & sic quodammodo prophetando, valeas oracula pandere iustitiae, & ne amplius sis tantum auribus, sed re & verbis Auditor. Belle! vt nihil supra. Ceterum solet Decanus Rotaे consultationibus, quae nouo Pontifice electo de regula cancellariae habentur, interesse, nec non Regens Poenitentiariae, & in congregacione inquisitionis consulter creati. (c) Accipit etiam in solennitate distribuendarum candelarum duas, (d) & quod forte dulcius est, duplam pecuniae portionem, quam Papa inter singulos Auditores, imminentibus iudicii feriis solemini epulo exceptos, distribuere solet. (e) Praeterea sunt in aliis Curiae Romanae collegiis Decani, velut inter clericos Camerae, (f) Abbreviatores, vota ferentes in Signatura, Consistorialis aulae aduocatos &c. (g) quorum praerogatiwas plerumque ad ius primi loci restrictas, mihi vero non satis compertas, aliorum diligentiae relinquo.

§. XIX. Iuit etiam Decani nomen, in Belgio praesertim, ad aliorum collegiorum ciuilium capita, quorum numerum vix in eas. Ita SCHILTERVS obseruauit, praefatum iudicio mercatorum Argentorati & Francofurti *Decan und Oberappellari*, (h) & similiter Decani, qui collegiis artificum & opificum praesunt, frequenter in actis publicis nominantur, velut in Edicto Concilii Flandriae, quod a. 1618. propositum est, *Decanus aurifabrorum*. (i) Etiam Decani leprosorum nomen in Edicto a. 1337. occurrit, & inter eius officia refertur, vt prouideat, ne quis eiusmodi morbum simulet, & turpi mendacio inhiet alimentis, praeterea vt ius inter

E lepro-

(c) Cardin. PETRA cit. loc.

(d) BERNINO p. 150.

(e) Tableau de la Cour de Rome P. IV. Chap. IV.

(f) Card. de LVCA relat. Rom. Curiae Disc. XXXIII. Bullarium magnum Tom. II. p. 132. §15.

(g) vid. Acta Canonizat SS. pii V. Andreae Auellini &c. p. 284.

(h) SCHILTER. Glossar. v. Dechan. Deken.

(i) Conf. FRANC. ZYPAEI Notitia iuris Belgici p. 75.

leprosos dicat, & iudicati exequendi caussa magistratus ordinarii auxilium imploret. (k) Pluribus eiusmodi Decanorum exemplis non opus est, vt sciamus, varii generis collegiorum praesidibus vel curatoribus hoc nomen aptatum esse, simili fere fato, ac nomen Abbatis, quod etiam ridicularum & illicitarum societatum capitibus adhaesit, vt exemplum *Abbatis Conardorum & Eslaffardorum* demonstrat. (l)

§. XX. Claudant agmen Decani nostri, qui Facultates quatuor in Academias ducunt, instituto per antiquo, & vbiuis fere, licet interdum aliud nomen placuerit, recepto. In Academia Patauina, qui Collegium Theologorum dirigit, *Decanus* vocatur; sed ICorum & Artistarum praesidem, quamvis nec dignitate, nec officii ratione discrepet a Decano, *Priorem* dicunt. (m) In legibus Taurinensium (n) *praefidis collegii* nomen usurpari video, neque tamen compcri, an plane nullus sit apud eos *Decanatum* usus. *Primicerius* Salamanticensium in quibusdam officiis partibus Decanis aliarum Academiarum similis est; (o) & sic multis modis unus rei nomina variant. Olim in singulis Facultatibus denos Professores fuisse, qui decem diei horas publicis praelectionibus destinatas inter se partirentur, & praesidem haberent Decanum, (p) ab illis excogitatum esse puto, qui huius nominis rationem reddituri nullam momento suo valere posse censuerunt, nisi quae a denario numero repeteretur. Rectius alii ab institutis ecclesiis, quibus res academicae veluti tintæ sunt, hoc nomen ad nos fluxisse censem; ipsumque ius conuocandi, sententias rogandi, sigillum custodiendi & huius generis plura, similitudinem aliquam inter Capitulorum Decanos & nostros ostendunt. Hinc vt omnes academicæ, ita & quæ Decanatum concernunt, caussæ in quibusdam territoriis cognitioni collegiorum, quæ de rebus ecclesiasticis statuunt, subiectæ sunt; alias lites de Decanatu, nisi principis voluntate foro ecclesiastico seruentur, ad iudicem

(k) ZYPAEVS cit. loc. p. 140.

formular. & oration. Lib. sing. p. 49.

(l) CANG. Glossar. v. Abbas.

seq.

(m) NICOL. COMENI Historia Gymnas. Patauini Tom. I. Sect. I. cap. XV. XVI. XVII.

(o) MENDO de iure Academ. p. 142. seq.

(n) M. AVGVSTIN. CAMPANI

(p) vid. KNICHEN. Opus politum P. I. p. 103.

dicem ciuilem pertinere, non ambigitur. Agitata tamen est haec quaestio non ita pridem in Academia Coloniensi magnis motibus, cum in ordine ICtorum sex doctores ecclesiastici, qui tantum Canonum doctrinam tradunt, Decanatum affectarent, cuius administratio nonnisi primis sex Professoribus ordinariis competitbat. Impetrauerant autem doctores a Nuncio sedis Romanae, & postquam ille Colonia Romam redierat, ab eo, qui vices ipsius gerebat, ut Decanatus sequestro constringeretur, & a professore, qui Decanus renunciatus erat, claves archiui, sigilla, & protocolla repeterentur, ipsi vero, quando decretis Nuncio parere derrectabat, excommunicatio intentaretur. Grauiter tulit Augustissimus Imperator, cum caussam ciuilem ad ecclesiasticum forum trahi, iurisdictionis fines confundi, a Nuncio, & qui eius vices gerebat, sibi plus quam ad eius cognitionem pertinet, arrogari, adeoque ipsa Imperii iura minui, animaduerterer. Itaque Nuncii Vicarium Colonia & ex Imperio cedere iussit, Cardinali vero Schrottembachio in mandatis dedit, moneret Pontificem, vt acta rescinderentur, Nuncius vero posthac limites iurisdictionis religiosius obseruaret; quae si plenius noſſe cupis, ex rescriptis Imperatoris ad Cardinalem Schrottenbachium, & ad Comitem de Koenigseck, qui Coloniae tunc Caesaris legatus erat, cognosces. (q) Praecedit Decanus ceteros ordinis ſui omnes, & NICOLAVS COMNENVS conqueritur, a Decanis ICtorum Patauinorum περιθίαν negligi. (r) Neque tamen Primus locus illi concessus impedit, quo minus in certis negotiis alius potiores partes explere possit. Ita Serenissimi Nutričii nostri decreto (s) constitutum est, vt in ordine ICtorum huius Academiae, quamuis praecedat Decanus, tamen in actis distribuendis & in dirigendo, vbi ius dicitur, auctoritate sua valeat amplifimum Ordinarii munitus, quod apud nos longa serie a ICris, doctrinae celebritate ad posteros ituris, gestum est, & nunc ingentes ornamentorum accessiones nanciscitur a magni nominis viro, quo nemo felicitus fuerum Themidos sacerdotium cum Gratias & suauitate Musarum coniunxit, AVGUSTINO LEYSERO. Haec de nomi-

(q) LVNIG. Reichs-Archiv Spi-
cileg. eccl. Contin. I. p. 128. seqq.

(r) NICOL. COMNEN. cit. loc. p. 131.
(s) Decret. Visitat. a. 1662.

8072

XXXVI DE DECANIS ET DECANISSIS

nomine Decani, & quam dicunt, praecedentia sufficient. De iuribus & officiis eius, aliisque priuilegiis, quibus in nonnullis Academiis vtitur, longa est fabula, multis quaestionibus, & forte non iniucundis ornanda, cum ad manus sint multorum collegiorum statuta, nisi dies vrgeret, qui, vt more maiorum emittratur haec scriptio, postulat, & opellam claudere iubet, quae nobis inter brevia feriarum otia rudi excidit.

Vobiscum enim mihi adhuc res est, o Musarum deliciae, Vobis *Candidati & Commlitones optimi*, hoc, quicquid est, confecrati, & de Decanis, quantum satis est, locutus, nunc tandem Vos alloquor Decanus. Quid ad Vos feram, & vt brabea virtuti Vestrae promissa digito monstrem, videtis. Ego vero, quam vellem, vt Vobis nimiam verecundiam, bonarum mentium comitem iniquiduum, & amabile quidem, sed vitium tamen, hac in uitiatione mea detrahere possem. Imbuitis animos artibus & scientiis suauiter asperis, & postquam acerbitatem viciſſis, numquid aliud supererit, quam praemiorum dulcedo? Significo Vobis, *Candidati doctissimi*, me nunc ea, quae in manibus meis posita sunt, parare, & omnibus ac singulis, quos ex decreto collegarum dignos inuenero, **BONARVM ARTIVM MAGISTRI & PHILOSOPHIAE DOCTORIS** honores, nec non, si qui merito petant, **LAVREAM POETICAM** tributurum esse, cui solemnitati more maiorum dictus est dies

*Ille, qui mensim Veneris marinae
Claudit Apriliem.*

Circumponet Vobis haec panegyris honores, quos multis praestantissimis viris & in republica vel ecclesia munera splendore postea conspicuis, veluti laudum primitias, ab ordine nostro datos esse, merito gloriamur: accipietis dignitates, quae simili animos demulecent, & accentuant, quae Vos, quae parentes Vestros delectabunt,

& quas leget ipsa Lycoris.

Age igitur, docta cohors, questatim meritum sume superbiam, & ad palmas in medio positas dato virtutis specimine concola. Per me, qui debitae Vobis opifex coronae hoc semeftri dico, nequaquam stabit, quo minus ex auditorio magno manibus meis ornati frequentes progredia-
mini. P.P. Vitemb. Sac. Epiph. A. 1515 CCXXXIX.

**VITEMBERGAE, TYPIS EPHR. GOTTL. EICHSFELDII,
ACADEM. TYPOGRAPHI.**

Göttingen, Diss., 1739 (1).



3

Sb

v7n8



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

DE
DECANIS
ET
DECANISSIS
COMMENTATVR
ET
MAGISTERII PHILOSOPHICI
HONORES
LAVREASQVE POETICAS
D. XXX. APRIL. A. cI^o I^o CC XXXIX
DISTRIBVTVRVS
CANDIDATOS
DE HIS LITERIS BENE MERENTES
MORE MAIORVM
INVITAT
IO. GVIL. HOFFMANNVS
PHILOSOPH. ET IVRIS VTRIVSQ. DOCTOR HISTO-
RIARVM PROFESSOR PVBL. ORDINAR. FACVLTAT-
IS PHILOSOPHICAE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS ET IMPER. AVCTORITATE CONSTITUTVS
COMES PALATINVS.